

*Bibliothèque numérique*

**medic@**

**Thou, Jacques-Auguste de. Crambe.  
Viola. Lilium. Phlogis. Terpsinoe**

*Parisiis. M. DC. XI., 1611.*

I. A. T. H.

Crambe.

Viola.

Lilium.

Phlogis.

Terpsinoe.

PARISIIS.

---

M. D. C. X. I.

I. A. T. H.

Crambe.

Viola.

Lilium.

Phlogis.

Terpsinoe.

PARIS

M. D. C. X. I.

---

# PAVLVS RENEALMVS

## LECTORI.

**I**Nciuilis & illiberalis operæ fuerat, in hac me naturalis historiæ parte, quæ de amaraco & brassica deq. id genus aliis differit, esse versatum, nec saltem indicasse quæ fuere nuper ex eiusdem historiæ recondito penu ab illustrissimo Thuano versibus elegantissimis ingeniose deprompta. is nimirum inter rusticandum, quo tempore cæteri fere nihil agere fas & solenne esse putant, eam et ipsa quæ nos per uigili cura vix tandem aperuissimus poetica facilitate iucundissime patefecit. dicam igitur ex animi sententia; sæpe mihi fuit cum ingenti admiratione nominandus: adhibitisque passim eius versibus velut aureis tessellis non modicam huic quaecumque est operi gratiam conciliaissem. malui tamen integro tibi continuorum poematum numeros exhiberi, quam concisos in emblemata vitio forte an adplumbaturæ vilioris aliqua parte depretiari.

ΔΙΣ ΚΡΑΜΒΗ ΤΟ ΠΑΛΑΙ ΜΕΝ ΑΓΗΧΘΕΤΟ· ΝΥΝ ΔΕ ΘΥΑΝΟΥ  
ΜΗΔΕΝ ΔΙΣ ΚΡΑΜΒΗΣ ΕΣΤΙ ΡΟΘΕΙΝΟΤΕΡΟΝ.

ΡΑΒ. ΣΤΕΦΑΝΟΣ.

CRAMBE



## CRAMBE.



*V* R I S in aprico mediter quid solus amoeni,  
Dum fora clausa silent, certa ô tutela tuorum  
H A R L A E E, heroum genus, & spes ultima  
nostri

Ordinis, amissum qui tempore luget honorem;  
Quaeris, habe paucis, quae nostra Thalia referre

Iam silvis assueta agresti haut abnuat ore.  
Otior heic laetus, nisi quantum damna retardant  
Publicaque imperijque salus, regisque periculum,  
Regis, cuius amor tantum mihi pectore surgit,  
Aeriis abies quantum caput Alpibus effert.  
Campestreis heic miror opes, & dona benignae  
Naturae, pleno fundit quae copia cornu,  
Et suave halanteis per prata nitentia flores,  
Atque olera, atque herbas varia virtute potentes,  
Quas esuque usuque humana probavit egestas.  
Inter quas Crambe notissima, digna camoenis  
Nefloreis, potiore & nunc quoque digna poëta.  
Nec vereor, ne quod fertur dixisse vetustas,  
Occidat miseros Crambe repetita magistros:  
Ter Crambe nam dicta placet; vos ô mihi nota  
Numina Pierides faciles estote canenti:  
Vos quoq. rura iuvant. rigido prognata Lycurgo

A iiij

Thressa fuit Crambe; genus at fuit ille Dryantis,  
 Bistonis late populis qui strenuus armis  
 Iura dabat; sed mitte magis, nec profuit illi,  
 Crambae pectus erat: nam relligione deorum  
 Anxia vittatas adolebat multa per aras  
 Tura, Iovem recolens, fratremq. tridente superbum,  
 Nec non Ditem Erebi cum coniuge regna tenentem.  
 Strymonij inprimis numen venerata Gradiui.  
 Quem Mysiq. Getaeque colunt duriq. Tomitae,  
 Cyrrhaeumq. patrem, venatricemque Dianam,  
 Taurica virgineo cui tinguitur ara cruore,  
 Atq. deos alios coeli intra templa receptos.  
 Ex cunctis unum Bromium & Trieterica nescit  
 Orgia; siue odium est, peccat siue illa paterno  
 Exemplo. siquidem sacrum furiale perosus  
 Ante pater, toto Evanteis summo verat Hebro  
 Maenadas, & patriis exire coegerat oris.  
 Ipse deus, quamvis longa stipante caterva  
 Sub iuga pampineis lyncas moderatus habenis  
 More triumphali per Thracum incederet urbes,  
 Bellatorum in se venientum exhorruit arma,  
 Nec tulit aspectum minitantis multa Lycurgi;  
 Sed fugit in medias turbas, curruque relicto  
 Aegaeum pro se vertice misit in aequor:  
 Lemniacumq. legens litus Vulcaniaque arva  
 Adnavit madido viridantem corpore Naxon,  
 Offensae memor atque ulcisci in tempore certus.  
 At Bromio tumidus fugiente Dryanti heros  
 Successus nequicquam urget, raptaque bipenne  
 Obvia quaeq. secans, iuga vitibus obsita vastat;  
 Dumq. secat, crura invisa titubantia vite

Implicat,

*Implicat haerentisq. parat dum abrumpere nodos  
Esse putans vitem, ferro sibi crura putavit,  
Et seris oculos lavit post vulnera guttis.  
Haec alta virgo memorans dum mente reponit,  
Compositi post funus avi carique parentis  
Sacra frequentanteis odit sollemnia matres,  
Nec patienda Deo stolidi conuicia lingua  
lactat, & auctorem verbis incessit amaris.  
Non tulit Ignigena, &, quoniam nihil ista movetur,  
Nec patriae clades nec fata domestica terrent,  
Sentiat ultorem; quid non mihi cedere debet?  
Trans Gangem cessere Indi citraque subacti,  
Bactraque, & ad gelidum regio porrecta trionem,  
Edoniq. truces, pictis & lazuges armis.  
Ante Iovem pugnans iuvenili robore fretus  
Consociante suas intonso & Apolline vireis  
Enceladum patrio potui detrudere caelo,  
Iniectoq. Aetnae pressisse Typhoea dorso.  
Quae mihi vis animo, quid laeso numine possim,  
Sensit Echionides à matre occisus Agave;  
Et quae nocte volant & habent à vespere nomen  
Tecta per errantes patulis Minœides alis.  
Magnus ubique feror. me femina despicit una.  
Non impune feret. qualis fera cincta molossis  
Inficit hirsutos roranti sanguine vepreis;  
Talis & ipsa manus inter raptata cruentas  
Threicio vati sortem experiatur eandem.  
Dixit, & infremuit thyrsos; nec tinnula cessant  
Tympana, nec misto Bercynthia tibia cornu  
Rauca sonans; strepitum Bacchae Satyriq. sequuntur,  
Exululantque cavis longum convallibus Enohe.*

Ergo ubi Sithoniae succinctae vellere mammas  
 Serpentiſq. hederae velantibus ora corymbis  
 Ad ſacra convenere nurus, procul una vagantem  
 Aſpiciens Cramben, cervam rata, gutture ravo  
 Horrendum tonat, atq. intorta percutit hafta.  
 Extemplo accurrunt ſociae, ferulaſq. rotantes  
 Ingeminant glomeratae iſtus; fugit illa, ſed impar,  
 Iamq. anima linquente cadit; tum nube ruentum  
 Incumbente, metu vocat exanimata ſupremis  
 Dictynnā votis, & opem fer, dixit, alumnae;  
 Externo ſi te meliorem numine virgo  
 Uſque ſecuta fui, & primos ſacravimus annos,  
 Adſis diva, & me feralibus eripe monſtris.  
 Audiſt Arcitenens; ſed enim quia vertere fata  
 Vlla lege nefas, voti ſuccedere partem  
 Conceſſit, partem dat ferre volucribus auris:  
 Oblatamq. trahens ſpiſſis è nubibus unam  
 Vulneribus ſtratae circumdedit, atq. furentum  
 Evaſiſſe manus gaudentem amplexa, propinquas  
 In ſilvas rapit, & planta cognomine mutat.

Ex illo Cramben inter Bacchumq. latentes  
 Uſque inimicitiae atq. odium immortale remanſit.  
 Nam ſi pampinea recubans fors vitis in umbra  
 Viderit adverſo crescentem vertice Cramben,  
 Fert retro caput atq. oculos averſa reflectit.  
 Rurſus ſi ferventi ollae cauleiſq. coquenti  
 Miſcueris paullum vini, deſervet aquae viſ  
 Protinus, incoctamq. relinquit inutilis eſcam.  
 Hoc ingens etiam, certo indicioque probatum  
 Naturae pugnantis opus; ſi largius aequo  
 Exhilaraturi dulcis ſe munere Bacchi

Crudam

Crudam praecipiant ieluno gutture Cramben,  
 Ebrietatem arcent munito hac arte cerebro,  
 Vimque meri nimij frenant aestusq. repellunt.  
 Inde est naturae gnari quod Theutones urnis  
 Fictilib. sectam includunt sub tempore brumae,  
 Et large pipere infuso, & mordacis aceti  
 Vi multa domitam admiscunt ad iuscula Cramben,  
 Aut sale conditam servant. haec gratior illis,  
 Quam Lusitanis quae navib. India mittit,  
 Aut quae Rotomagi & Genuae dulciaria fiunt.  
 Silvestris primum illa diu, mansuevit ad usus  
 Paullatim cultura hominum, accepitq. colendo  
 Diversas facies. hodie de nomine Graio  
 Silvestris nota est, hirsutaque brachia pandit,  
 Et circum siliquis albescentibus horrida turget,  
 Praeruptisque locis gaudet pelagoq. propinquis :  
 Et quia amaror inest, terget siccaturque, tumores  
 Discutit, ignitosque humorum temperat aestus.  
 Ne tamen heic erres, neu levem & litora amantem  
 In numerum hunc smilacem, quae Soldanella, recense.  
 Altera & est silvestris, & haec montana vocatur  
 Et campestris, at haut ullo sat cognita succo.  
 Brassica, quae seritur, priscis est dicta Latinis  
 Multiplici specie. Cumana est ordine prima,  
 Quippe frequens Cumis, patulo quae vertice surgit  
 Luxuriatq. toris, saturoque virore rubescit.  
 E genere & Tritiano & item Lacuturribus est, quae  
 Crescit Aricinos praegrandi caule per agros,  
 Innumerisque viret folijs, roseumq. colorem  
 Admistum servat. crispam venisse Sabellis  
 Dicunt miranda specie succoque salubri

Praestantem. fissis foliis *Apiana* vocatur,  
*Isthmica* quod referat gestantem praemia frondem.  
 Procera est *Pompeiana*, & cui *Brutia* nomen  
 Imposuit, multis quae *brassica* nigra putatur.  
 Praecipua est nostro quae tempore florida dicta  
 Aduecta est *Cypro*: non hanc folia ampla, pedalis  
 Non, qui *Cumanae*, vertex commendat ad esum,  
 Succus at interior crassae pinguisque medullae.  
 Nobilium ad gustum seponitur, atque paratus  
 Instruitur vario, condimentique per omneis  
 Saepe loco missus *bellaria* grata ministrat.  
 Est & ab illius quae semine credita gigni  
 Ingenti capite assurgit, proceraque latis  
 Florescit folijs. dedit hanc *Insubria* nobis;  
 Unde etiam nomen. capitata sed albida maior  
 Mollibus atque esu foliis gratoque sapore  
 Et succo potiore valet; nec crispa repugnet,  
 Quamquam illam veteres aliis excellere firment,  
 Albida quaeis ignota fuit. his addere rapi  
 Nonnullis caulem placuit, qui caudice crasso  
 Ab radice tumet, folijsque minoribus exit.  
 Quinetiam semen *Crambes*, ubi tempore longo  
 Consenuit, raphanum producere creditur acrem.

Nunc quid ego memorem quae tandem quantaq. saevos  
 Praesidia aduersus morbos haec praebat una?  
 Aspice per partes hominem subtusque forisque,  
 Membra quot in toto numerantur corpore & artus,  
 Tot sese in curas humana industria vertit,  
 Totque exploratas sanandi repperit artes.  
 Singula narrantem me tempus & hora relinquat;  
 Nec vero aut numero comprehendi nomina possint,

*Aur*

*Aut per difficilis includi carmine Musas.  
Hoc dixisse sat est. sexcentis amplius annis,  
Quam Romana diu maiestas aemula coelo  
Virtute imperium tenuit, populumq. patresque  
Non alia in mensis herba melioribus usus,  
Non ad pellendos alio medicamine morbos.*

*Vt tamen è multis quaedam tibi commoda carpam  
HARLAEE, ad stomachum confert capitisq. dolores  
Et scintillanteis oculos tumidumque lienem  
Brassica, si crudam cum ruta & melle & aceto  
Laseris & radice teras menta & coriandro  
Dimidiae heminae mensura ac mane propines.  
Hac oculorum acies etiam fit clarior esca;  
Clarior & succo, teneri si frictus ocelli  
Angulus admoto dulci cum melle linatur.  
Decocta nervos mire articulosque iuvare  
Compertum est illius aqua, dirosque tumores  
In pedibus manibusque arthritidis illita sanat,  
Huic coriandri si semen rutamque salisque  
Candentis micam atq. farinam infuderis hordei.*

*Denique, ne nimio Crambe sermone trahatur,  
Hoc fuit illud olus, propter quod liquit Athenas,  
Maluit & parvis habitare Epicurus in hortis.  
Propter quod patrui genitaleis saepius undas  
Aurea deseruit Cypris caelumque paternum,  
Et procul à vulgo viridaria culta pererrans  
Extincto vigileis solatur Adonide curas.  
Illud olus, per quod non mendax Graecia quondam  
Iurabat; de quo propriis scripsere libellis  
Pythagoras medicus, Chrysippus & ipse medendi  
Arte potens, eademq. insignis laude Diauges;*

Quod Cato laudavit censorius, ille severi  
 Vir moris retinens, qualem te Gallia tota  
 Suspicit, atq. oneri nondum succumbere gaudet.  
 Illud olus, quo si patienter sobrius uti  
 Sciret Aristippus, turpis parasitus opimas  
 Hautquaquam optaret regum contingere mensas.  
 Illud olus, quod Nausicaë colere ipsa solebat;  
 (Quamquam haec Smyrnaeo non prodita miror Homero)  
 Quod Corcyraeis furtim memoratur in hortis  
 Dulichio monstrasse duci; quo captus & ipse  
 Non minus ac roseo dilectae virginis ore  
 Penelopen Ithacamque diu fastidiit absens.  
 Illud olus, cui posthabuit victricia signa  
 Matre Dioclea natus trabeamque Quirini;  
 Dumque senectuti requiem parat, urbe relicta,  
 Purpura quae misero quae Roma molesta negabat  
 Otia natali felix sibi fecit in agro.  
 O mihi si similis contingat clausula vitae!  
 Et qui me docuit vanos contemnere honores,  
 Concedat Samia cauleis prandere patella,  
 Urbe procul strepituque & fumis illicis aulae;  
 Ut mihi tunc clavo maior Tyrioque videbor  
 Murice, & aequaleis inter librosque fideleis  
 Temporis exigui, nivea quod candida dextra  
 Net reliquum Lachesis, rationem laetus inibo.



## ION, siue VIOLA.

**D**ICTA mihi nuper Crambe repetitaq. laetos  
Emeruit plausus, nec carminis auctor Apollo  
Non probat, & faciles olim mea cura puellae,  
Pierio si quid vacui cantavimus antro.  
At nunc agresti Violam dicemus avena,

Purpuream violam. cepto Regina labori  
Aspira, & dignas in carmina suffice vireis:  
Namq. tuum potius Musis & Apolline numen.  
Rura peragramus duce te non pervia vulgo,  
Et quae nullius trivit prius orbita redae.  
Delphinum dicent alij, foetamq. triumphis  
Imperiiq. domum, & tanta de stirpe nepotes  
Speratos; nos arva iuvant humilesq. myricae.

Haemoniae riguis errabat vallibus Io,  
Io Nympharum longe pulcerrima forma,  
Quae festas Tempe celebrant per amoena choreas,  
Cum Deus, ultrici librat qui fulmina dextra,  
Hanc videt, & subitas concepit pectore stammas,  
Et frustra fugientem inducta nube fefellit;  
Quoq. nova furtum furto deprensus in ipso  
Fraude tegat, nimiasq. eludat coniugis iras,  
Formosa niveam fecit de pellice vaccam.  
Inachus huic genitor, qui si sine prole fuisset,  
Caerulea versaret aquas felicior urna.

B iij

Nunc flet, & aeternum natam lugebit ademptam  
 A fluvijis longe muscoso conditus antro,  
 Quasq. putatis aquas, lacrimae sunt fonte perenni  
 Ora per atq. sinus miseri senis usq. fluentes;  
 Quae ne cum vita arescant fors invidet illi  
 Humana potior. nequicquam immugijt Io  
 In patria signans bifido pede nomina ripa.  
 Acrior hinc luctus; nec versae damna figurae  
 Sunt satis in poenas; custos vigil additur Argus  
 Centum luminib. cinctus caput. ast ubi caelo  
 Lapsus Atlantiades Phthiotida venit equestrem,  
 Et centum tetigit medicata lumina virga,  
 Lumina quae cauda servat lunonius ales,  
 Hoc magis in rabidos irarum excanduit aestus  
 Et soror & coniux Iouis, & custode solutam  
 Exagitat passim stimulis furialibus Io.  
 Illa vago fertur cursu, Rhodopenq. nivalem  
 Transit, & umbriferos saltus colleisq. supinos,  
 Strymonaq & Nessum atq. Hebri Melanisq. fluenta,  
 Et tandem Europes in margine constitit imo.  
 Heic cum saeva nova magis infestaret Erynnis  
 Vi miseram, placidum zephyris verrentib. aequor  
 Angustas rapidi fauces secat incita ponti,  
 Bosphorus ex illo qui nunc quoque tempore dictus.  
 Inde furens per plana volat, transvecta sonantem  
 Ascanium: longe Simois Xanthusq. recedunt  
 A tergo, & visurum olim tot funera, caedeis,  
 Proelia, tot saevis laniata cada vera corvis  
 Ilion, & riguis circumflua fontibus Ida.  
 Deseritur Pactolus, & auro turbidus Hermus,  
 Glandifer & Tmolus, Phoebi de lite Midaeque

Arbiter

Arbiter electus Tmolus, quiq. Asia circum  
Pascua Maeonius leni fluit amne Caystrus;  
Et perplexa vagis in se redeuntib. undis  
Hinc per oloriferi vada tendit iter Maeandri.  
Ardua iamq. subit saxosi culmina Tauri,  
Fessaq. gramineo deponere membra cubili  
Dum parat, immisso violentius uritur oestro.  
Ergo optat mortem, simileis his murmure bruto  
Visa ciere sonos. ô qui mihi criminis auctor,  
Si mea caelesti cecidit sub pondere victa  
Virginitas, Deus ô miserere Phoronidos Iüs,  
Nomina vel si prima negas, miserere iuvencae  
Tot spatia emensae terrarum amneisq. profundos.  
Da finem poenis, vitam qui finiat ipsam.  
Tuq. adeo, quae cuncta creas animalia Tellus,  
Quaeque creata foves gremio victumq. ministras,  
Quando nulla quies, exhaustae & pabula desunt,  
Pande sinus vastos & aperto conde barathro.  
Dixerat. haut surda questus illa accipit aure.  
Tunc Athamante satae Phryxaeus portitor Helles  
Exoriens caelo tepidum ver laetus agebat,  
Cum miserae in pastus oblectamenq. iuvencae  
Sponte sua tellus fragranteis protulit herbas  
Nominibus simileis, gemino simileisq. colore.  
Nam bipatens alias resoluta purpura vestit  
Flore, verecundae qualis decet ora puellae,  
Exsuperantq. nives aliae candore Batavas.  
Gaudet honore novo donisq. recentibus Iô,  
Pascit & haerenteis oculos & pascitur ipsa.  
Ergo iter inceptum sequitur, Lelegasq. feroceis  
Et Pisidas longe Pamphylaq. deferit arva,

Et Cilicas duros, Cydnumq. rigentibus undis.  
 Iamq. pedes Tauri aduersi litusq. legenti  
 Occurrunt Amani nubeis aequantia clostra.  
 Subiecti hinc Syriae campi patuere, iugisque  
 Cedriferae praecipua Libani decurrit Orontes,  
 Iordanisq. retro properans seseq. resorbens,  
 Sirbonisq. lacus; Arabumq. mapalia linquit  
 Ad laevam, & semper palmeta virentis Idumes.  
 Tum late deserta fame damnata sitique  
 Porrigitur regio, & steriles calcantur arenae.  
 Rursus & heic superante malo miserata gementem  
 Terra parens petris latices horrentibus ire  
 Atq. solum flores producere iussit amicos.  
 Tertia supremo restabat meta labori,  
 Qui medio dirimit Lybien hinc limite Nilus,  
 Inde Asiam, caeli pignus Divumq. voluptas  
 Nilus, foecundans Pharios absq. imbris agros.  
 Heic tandem errorum placata coniugis ira  
 Iuppiter imposuit finem, formamq. puellae  
 Reddidit; in pedib. subito decrescere cepit  
 Ungula, & ad primos redierunt brachia nexus,  
 Inq. solo fixos ad sidera sustulit orbeis.  
 Et quae luctiferae mugitibus ante replebat  
 Omnia, Lucinam humana ter voce vocavit.  
 Hinc Epaphus streperi genitus prope curua Canopi  
 Ostia, qui late tenuit Memphis sceptrum.  
 Quinquaginta ab ea deductae & stirpe sorores  
 Tot generis non sponte cohors nuptura cruento  
 Coniugio; nec iussa patris tamen impia tantum  
 Aut valere minae, quin dirum ex omnib. una  
 Execrata nefas caedi subduxerit ense,

Dum

Dum rudis armorum mavult quam saeva videri,  
Laudatoq. senem periurum eluserit astu.  
Viderat hoc quondam sorteis monstrante Prometheo,  
Viderat, & curis postquam partuq. levata est,  
Digna Deo iam mente agitans & digna marito  
Inde Paraetoniae mutato nomine plebi  
Iō quae fuerat, celeberrima dicitur Isis,  
Et patrijs passim colitur per compita sistris;  
Errorumq. memor Terraeq. ad vota benignae  
Vere novo violis praecingi tempora gaudet.  
Mox & ab Aegypto totum diffusa per orbem  
Religio, atq. ipsi Divam agnovere Quirites.  
Inq. Parisiaca, famae si credimus, urbe  
Olim culta fuit, vicina & nomen ab aede  
Isidis huic circum pago posuere priores.  
Nunc I O N ecce, novo retinens à numine nomen,  
Rure Parisiaco mensis tibi Martius affert.  
Tu cape dona libens, nec vatem sperne minorem  
Munere promisso, patiare & tempora circum  
Intextam madidos violam tibi lambere crineis.  
Eminus at specta, cum te oblectabis in illa;  
Nam minus illa placet, propius si admoveris ori,  
Terrestriq. gravis nareis contingit odore.  
Hoc etiam in violis, quod & est commune rosarum,  
Ingenio potior mirabile repperit usus,  
Ut si acreis iuxta cepas & taetra seratur  
Allia, flos gratum fragrantior inde per auras  
Contactu ex olido collectum exhalet odorem.  
Causa latet; causam Divae memorate latentem,  
Nostis enim, nec vos arcana haec celat Apollo.  
Cum ratio humanis conando viribus impar

Deficit, ignotas currit trans libera metas,  
 Orgiaq. & sacros Divûm meditatur amores.  
 Pergite Pierides. scisso Saturnia caelo,  
 Furta viri dum ferre nequit, concesserat Argos,  
 Hebe nequicquam abducta & Thaumantide secum,  
 Vixq. diu ad superum post inde reuenterat axem.  
 Interea memores servabat Iupiter iras :  
 Et dum quisque cupit propriam sine coniugis usu  
 Edere progeniem, cerebro Iovis innuba Pallas  
 Nascitur ; & placuit cunctis armata virago..  
 At Iunone satus deformi Mulciber ore  
 Terruit aetherios cetus, natumq. recentem  
 Aversata parens mox praecipitavit ab altis  
 Nubibus. ille cadens volucris per inane rotatu  
 Volvitur, & terram crus fregit ad Hypsipylaeam.  
 Vlcus ab hoc natum lapsu saniesq. per udam  
 Putris humum serpens late inficit omnia tabo,  
 Crommyaq. Scorodonq. herbas progignit olenteis.  
 Frustra alijs tentata modis atq. irrita semper  
 Lemnia terra fuit tanto medicina dolori.  
 Huius ope & tumido Poeantius ictus ab angue,  
 Dum miser obseptam vestigat veprîb. aram,  
 Convaluit tandem longo post tempore, & inde  
 Pergama fataleis tulit ad peritura sagittas.  
 At Deus, ex illo qui vulnere tardius ibat,  
 Prognatas meminerens sanioso ex ulcere plantas,  
 Has amat, his tunsa lassos incude Cyclopas  
 Appositis reficit Siculo resupinus in antro.  
 Inde cibus rapido tostis messorib. aestu,  
 Et qui dura secant per opacas robora silvas,  
 Aut rigidam stringunt mordaci forcipe massam.

Ipse

*Ipse quidem cepas quoties aut allia sumpsit  
Largius, in sponda Vulcanus secubat ima.  
Rursum ubi consorti ferre oscula gestit amicae,  
Multos ante dies hac sobrius abstinet esca  
Et lutea scabros terget fuligine denteis;  
Atque ait. ô dilecta tuo Cytherea marito,  
Quantum nulla fuit, quid verba levantia curas  
Amplexusq. negas? quid contra brachia tendis,  
Suavioloq. manus opponitur improba nostro?  
An nigris inarata nocet frons horrida sulcis,  
Hirsutumve movet longis fastidia villis  
Pectus, & alarum recubans trux hircus in umbra,  
Vexataeq. manus ferro atq. labore diurno?  
Ast illae dant tela Iovi, quibus alta patentis  
Porta tonat caeli, quibus ille coruscus acuto  
Corda hominum terrore implet, trepidosq. Gigantas  
Deicit, & late Phlegraeis sternit in agris.  
Anne animae vis aegra macet pulmone soluto,  
Invisasq. dapes redolet, floresq. rosarum  
Et tua quod spirant Cypri violaria marvis?  
At faxo ut violas & amoena rosaria felix  
Alliaq. & cepas inter concordia constet,  
Illaq. ab his capiant iuxta nascentia vireis.  
Sic fatus, simul ambabus violasq. rosasque  
Per tectum spargit manibus lectumq. iugalem,  
Quas vada per Stygiae nulli temeranda paludis  
Iurabat cepeta inter Trinacria natas.  
At Venus insolita florum dulcedine capta,  
Sensit enim, blandum risit, manibusq. remotis  
Rettulit ambrosios dicentis ad oscula vultus.*



## LILIVM.



ONARAM nuper violas cognomina matri  
Munera, cum subito vellens mihi Cynthius  
aurem,  
Filius ergo tuis, ait, immemoratus abibit  
Carminibus, nec dona feret sua regius infans?  
Parendum est. summo puer ô dilecte Tonanti,  
Magnanimoq. patri non infitianda propago,  
Liligeræ columen gentis, spes publica regni  
Huc ades, & placida bonus excipe fronte poëtam,  
Qui rus sollicita interdum demigrat ab urbe,  
Otiaq. urbanis miscens agrestia curis  
Chalcidicum Siculo deducit arundine carmen.  
Incipe Calliope; spirant heic molliter auræ;  
Si canimus flores, flores sint principe digni.

Forte pererrato terræ Saturnius orbe  
Amphitryoniaden secum super æthera raptum  
Alto sopitæ Iunonis ad ubera somno  
Suppositum furtim admorat; cum bimulus ille  
In longos altricis adhuc lac duceret haustus.  
Dumq. avido bibit ore puer, iam plenior æquo  
Conceptum saturo reiecit pectore nectar.  
Inde fluit medio decurrens rivus olympo,  
Extremamq. alam Lædæi stringit oloris;  
Perseaq. anguinææ gaudentem caede Medusæ

Auri-

Aurigamq. lauit, Lacedaemoniosq. gemellos,  
 Antecanisq. pedes rabido latrantis hiatu.  
 Moxq. per aestivum converso tramite circum  
 Tangit Iasonia fixos in puppe rudenteis;  
 Stelliferiq. means spatiosa per atria caeli  
 Phillyriden Chirona petit, caudaq. nocentem  
 Scorpionum, & adducto sinuantem cornua nervo,  
 Et Ganymedei patulam secut alitis alvum.  
 Nunc & se cum luna filet, caeloq. sereno,  
 Callaicos circum tractus via lactea pandit,  
 Miratiq. stupent homines, quas ducat in oras.

At dea fallaci tandem experrecta sopore  
 Ut vidit niveo late stagnantia rore  
 Sidera, scitatur causas Atlantide natum;  
 Gnaraq. laetata est; sed non & laeta, iugali  
 Illudi toties thalamo per furtiva mariti.  
 Dumq. sedet rogicans, large stillantia sensit  
 Vbera nectareum in terras demittere rivum;  
 Flos unde exortus, lacti qui concolor omneis  
 Procera specie & viridanti caudice vincit.  
 Tumq. nova cernens campos albescere silva  
 Sic est orsa loqui. flos ô pulcerrime, nostri  
 Portio, flos terrae, qui non cunabula debes,  
 Sed caelo & caeli, quae te produxit, alumnae.  
 Tu vitam succumq. in te post funera servas,  
 Nataliq. procul marcescere creditus arvo  
 Attollis niveum flexa cervice cacumen.  
 Flos florum, flos regie, flos Paestique Paphique,  
 Audiat ipsa Venus licet, invidiose rosetis.  
 Nec candore Deae, sit fas, certare recuses,  
 Aut foedam metuas irato à numine poenam.

Est aliquid terras quod gloria nostra per omnes  
 Diditur, atq. apicem mundi contingit utrumque.  
 Iam caeli terraeq. potens regina vocabor.  
 Hoc furtivorum haut vanum solamen amorum  
 Miscuit invicti suprema potentia fati.  
 Non mihi iam vacuis nomen tribuatur ab Argis,  
 Imbrasiae Samo, Sparteq. aut dite Mycena.  
 Maius Achaemenio, nec mentem somnia ludunt,  
 Surgit ab orbe decus; Persarum regia Susis,  
 Quam medico lambit potabilis amne Choaspes,  
 His crescente locis à planta nomen habebit.  
 Hinc & ab Eois migrabunt grandia campis  
 Lilia, & exuto, mirum, candore rubebunt,  
 Oebalidae disco extincti respersa cruore;  
 Tristis & ipse suos fletus inscribet Apollo.  
 Nec mora. qua celsum pater Apenninus ad auras  
 Fert caput, & rapida flauenteis torquet arenas  
 Turbidus Arnus aqua, titulos insigniaq. inde  
 Etrusci regina soli Florentia sumet;  
 Aeternumq. sui pignus iactabit amoris  
 Tunc primum Ausonio visum sub cardine florem.  
 Moxq. ex purpureo fulvum vertetur in aurum,  
 Trans nive canentis ubi terrae increverit Alpeis,  
 Et procul à gelidi venientis limite Rheni  
 Felici Gallis insertos omine Francos  
 His olim auspiciis terrarum ad regna vocabit;  
 Sceptraq. non alio posthac iam flore virebunt.  
 Italiae reges, Germanis Francia reges,  
 Saxone permistis Anglo dabit una Britannis  
 Francia; nec leges non sentiet illius ora  
 Hesperis; egregios hinc Cyprus, & altera Roma  
 Accipiet

Accipiet dominos, Solimaeq. arx celsa Sionis.  
 Praecipuum ipsa sibi servabit Francia germen,  
 Francia magnanimū foecunda puerpera regum.  
 Hinc Faramundus atrox; intonso & crine decorus  
 Clodio; posteritas à quo regum usq. comata.  
 Iam Catalauniacis caeli furor Attila campis  
 Terga fuga nudat, Merovaenus & ipse triumphi  
 Pars ovat incumbens, praedaeq. exultat abacta.  
 Huic dispar successor erit, qui dictus amica  
 Fundasse imperium in terra. Clodovaenus at ingens  
 Roboreq. atq. animis radiantia lilia Francis  
 Lilia tot reges tot parturitura triumphos  
 In parma ostendet, ceu lapsa ancilia caelo,  
 Et gestanda dabit totumq. ferenda per orbem.  
 Quid reliquos memorem? veniet post ordine longo  
 Insignis spoliis Teudes Martellus opimis.  
 Quas strageis dabit ille manu, quot corpora vasta  
 Per Ligeris ripas, illo ducente phalanges,  
 Alitibus canibusq. dapes, inhumata iacebunt?  
 Filius huic Rheni limen, frenabit utrumque,  
 Exiget & populos Itali potiore superbos  
 Parte soli, externisq. diu possessa colonis,  
 Caenomanis Venetis Senonumq. nepotib. arva  
 Restituet, totoq. Padi dominabitur amne.  
 Carolus imperium terris aequabit, & obster  
 Tabificus ni livor & invida turba merenti,  
 Hoc binas Aquilas sub principe foedera iungant.  
 Ipse nigram quatiens nutanti vertice cristam  
 Transferet ad Solem fasceis ac sceptris cadentem,  
 Ambiguoq. diu saevum cum Saxone bellum  
 Marte geret; sed sponte sua nondumq. subactus

*Induct ingenua cervice iugum Vitikindus.*  
*Hinc Robertus & Eudo, quib. commissa tuendi*  
*Limitis Andini custodia; regis & iste*  
*Delatos titulos regni curator habebit;*  
*Quos ultro titulis maior deponet adulto*  
*Pupillo; sed non in fratre modestia, non mens*  
*Par erit; ille sibi regnum implacatus ademptum*  
*Maerebit semper deinceps semperq. queretur,*  
*Exortis donec turbata motibus aula*  
*Controversa suo transcribet iura nepoti.*  
*Hoc regum series nullum interitura per aevum*  
*In genteis late se stipite porriget omneis,*  
*Atq. maris fluctus, numeroq. carentis arenae*  
*Aequabit cumulos, caeloq. micantia signa.*  
*Aspice sublimi LODOICVM è sede tenentem*  
*Sceptra manu, & populis condentem iura vocatis.*  
*Haut impar animis, morum gravitate fideque*  
*Maior avo, passim oppressam rutilantia signa*  
*Inferet in Syriam, nec victus cedere discet.*  
*Sed laevo ceptum repetens conamine bellum*  
*Eruct invisas Tyriae Carthaginis arceis,*  
*Vicinamq. premens dura obsidione Tunetem*  
*Hostib. indomitus morbi contagio peribit.*  
*Ille suam longa numerans ab origine prolem*  
*Fata recenset cunctorum, caelitus ipsi*  
*Hoc datur, atq. imo suspiria pectore ducens*  
*Ingemet, inter se laevo cum numine cernet*  
*Aurea collatis concurrere lilia signis;*  
*Et mea progenies quid stringitis, inquiet, enseis*  
*Mutuum in exitium, atq. odijs certatis iniquis?*  
*Ponite tela manu, & cognatas iungite dextras;*

*Vincat*

Vincat & officijs quisquis pugnabit amicis.  
 Tuq. prior, nostro qui nomine clarus haberis,  
 Atq. Italos inter iusti cognomine gaudes,  
 Absiste his armis, generumq. monere memento  
 Ne res committat sortis variantis in horas  
 Arbitrio, dubioq. velit se credere Marti,  
 Tranquilla sed citra Alpeis in pace quiescat.  
 Filius haec eadem reputans sibi dicta, cavebit,  
 Ne iuvenile decus primisq. fauentia ceptis  
 Arma calens animis nimio adsectetur amore,  
 Promissisq. olim plus fidat inanib. aequo,  
 Quae mors, aut subito levitas frustrabitur astu.  
 Tu quoq., cui patria quaesita potentia dextra,  
 Nec propria virtute caret; Burgundio cui tot,  
 Ille meus quoq. sanguis, opes in morte relinquit;  
 Pone modum, rebus confise Philippe secundis,  
 Pone modum votis, nec fratri illude minori.  
 Bis quanquam ignotas immissa est classis in undas,  
 Bis nostro rubuit Atlantica sanguine Tethys,  
 Ne nimis ne propterea successib. ardens  
 Cognati indigna plus iusto in caede triumphat.  
 Immodicis aderit nunquam exorabilis Ate,  
 Humanos apices pedib. quae conterit Ate.  
 Vana precor, rapidaeq. ferunt mea vota procellae.  
 Iam Pyrenaeum, iam totas fervidus Alpeis  
 Atrebatum è campis veniens immittet Iberus;  
 Securusq. domi quid agat quid cogitet hostis,  
 Oppida praesidijs à tergo nuda relinquet.  
 Quis furor, ô cives, ut bello aliena capeffas,  
 Iacturam fecisse tui? viden' ecce Batavus,  
 Cui sese fossa sat erat valloq. tueri,

D

Invadit vacuos te discedente penateis,  
 Illatoq. vices alternans Marte laceſſit.  
 Protinus & curſum fuſcos intendet ad Indos,  
 Et Luſitanis tantum ſulcata carinis  
 Aequora, Cimmeria velox trabe navita verret,  
 Imperijq. ferox arcana recludet Iberi.  
 Interea praeſtans animis & fortib. armis  
 Plus decimoq. gradu noſtra de ſtirpe remotus,  
 Dijs carus ſuperis & fatiſ debitus heres  
 Adveniet; virtus huic omnia pervia fecit.  
 Murmura lymphatae ridebit inania plebis,  
 Inſidiasq. truceis praefenti numine faller;  
 Et coniuratas fortem reſcindere gentem  
 Heſperiae ſternet iunctas utriuſq. cohortes,  
 Impavido adverſos ſtans pectore tutus ad iſtus.  
 Irato qualis rupes praerupta profundo  
 Illiſos frangit magno molimine fluctus  
 Fronte minax, madidis Auſter cum nubilus alis  
 Ingruit, & fundo ſpumas ciet Africus imo;  
 Dant ſonitum longe ſcopuli, & cava litora plangunt.  
 Cede Philippe, tuiſ mature & conſule rebus.  
 Praecipuum reges erga tun' nescis amorem  
 Francorum? redde infauſtis in limite captas  
 Auſpicijs urbeis, & feſſae parce ſeneſtae;  
 Quamq. tibi, clavo imperij cum abſcederet olim,  
 Donavit genitor, pacem concede Philippo.  
 Quis bellatorem tantum contra obuius ire  
 Auſit, & ancipitiſ tentare pericula pugnae?  
 Ille manu pacata reget, gnatuſq. paterniſ  
 Parta armis longum gaudebit pace beatus;  
 Aureaq. intexens ferrugineis hyacinthis

*Lilia*

*Lilia maternos pius instaurabit honores;  
Sacra antiqua colat tantum ritusq. vetustos;  
Nec se ullo aveli pacto patiatur ab illis.  
Longe iniustitiam, scurrarum examina, fucos,  
Mangonum illecebras, sparsiq. impune cruoris  
Per gladiatorum pugnas ac saeva duella  
Insanum longe faciat cacoethes ab aula,  
Longe & avaritiam; non sint venalia iura;  
Non mercalis honos, pretio non purpura vilis.  
Sumptib. ille modum statuatur, luxumq. refrenet  
Gurgite inexhausto patrimonia a vita vorantem,  
Quem quidvis prompta audendi comitatur egestas.  
Casta pudicitiam seruet domus, alea pernox,  
Mentib. heu iuvenum nata alea corrumpendis  
Exulet, & quicquid leges prohibetis amicae.  
Alma Fides redeat, candor, probitasq., pudorque,  
Qui primas virtutis honos, miseraeq. per arma  
Finib. extorres patrijs civilia Musae  
Antiquas repetant tanto sub praeside sedeis,  
Noxiaq. ignavis è mentib. otia pellant.  
Diligat ille suos, & se patiatur amari.  
Contemptus causas, odijq. incendia vitet,  
Exemploq. suo, cum primum sceptrum capesset,  
Servandas nullo doceat discrimine leges;  
Quiq. aliis maior poenas ac praemia ponit,  
Ipse animi sibi ius intra penetralia dicat.  
Haec puer è teneris si primum egressus ephebis,  
Si iuvenis si vir memori sub pectore condatur,  
Osservetq. senex, regnabit latius, Indis  
Devictos armis quam si coniunxerit Afros,  
Et totum patrias sub leges miserit orbem.*

*Talia praesaga moriens LODOICVS amico  
Voce dabat mandata, dabat praecepta nepoti.*

*At mihi laetifico saliunt praecordia motu*

*Interea, totis miranti regia terris*

*Spargere odoratum Iunonia lilia florem;*

*Atq. subinde nova specie distincta, coronae*

*Addere ad antiquos etiam imperialis honores.*

*Conticuit Iuno. Iunonis dicta repente*

*Pro forib. caeli stantes bipatentib. Horae*

*Eunomieq. Diceq. & ruris amica colonis*


*Irene stabili concordēs omine firmant.*

PHLOGIS.

D  
ii



# PHLOGIS.



N N V A nunc redeunt violae sollemnia, Mar-  
 tis  
 Mensis abit; laetae Veneris venere Kalen-  
 dae;  
 Flos nouus exoritur; violae genus ille, rubore  
 Flammanti, totumque virens fragransq. per  
 annum

Collib. incultis, inter dumosque nemusque  
 Surgit, & irriguos cultu transfertur in agros.  
 Vnde decus flori, nec cognita nomina vulgo?  
 Quae virtus? dic Phoebe; tuo mihi numine pectus  
 Aestuat, inq. tuos orditur carmen honores.

At tu, quae diri post longa decennia belli,  
 Post ciuile nefas, facis otia grata Camoenis,  
 Arvaq. das pacata coli, cape munera ruris;  
 Hortorumq. deos mecum venerata potenteis  
 Vertumnum, Floramq., verecundumq. Priapum,  
 Francorum votis iam nunc assuesce vocari.  
 Haec quoq. pars nostri non aspernanda laboris  
 Debetur Regina tibi. vos cetera Musae  
 Dicite. Cantabricis Aragus qua montib. ortus  
 Caerula praecipiti descendit in aequora cursu,  
 Bisq. die reflui tumidos maris excipit aestus,  
 Virgo fuit, virgo Hesperia notissima terra,

D iiij

Quam pater Oceanus rapta Pyrenide nympha  
 Sustulit, & raræ decoravit munere formæ.  
 Iâpetioniden Pyrenis Atlanta parentem  
 Iactabat, tantæ nec vanus originis auctor ;  
 Vlturumq. patrem temerati damna pudoris  
 Sperabat ; iamq. ille faces ferrumq. furori,  
 Armaq. si desint, fraudem insidiasq. parabat ;  
 Aligero cum vectus equo Danaëius heros,  
 Dum Libyes per haberet iter sitientis arenas  
 Gorgonei referens spoliū haur spectabile monstri,  
 Advolat ingentis palatia clausa tyranni  
 Hospitiumq. petit : sed enim quia fata minantur,  
 A metuente sibi tulit hospes Atlante repulsam :  
 Acrior accepta fuit & vindicta repulsa.  
 Namq. retro verso fugeret dum corpore limen,  
 Squalida vipereæ procul extulit ora Medusæ,  
 Cuius ab aspectu mox saxo immotior Atlas  
 Horruit, & primam amisit cum voce figuram ;  
 Et nunc, quantus erat, tantus mons factus in auras  
 Fert caelo sublime caput, caeliq. micanteis  
 Impositos humeris cum stellis sustinet orbeis.  
 Ergo ubi mutato spes patre evanuit omnis,  
 Vngue genas secatur immeritas Pyrenis, & astra  
 Questib. assiduis Divosq. hominesq. fatigat.  
 Oceanus sensit, qui quanquam laetus amoris  
 Successu, nimias lacrimas iustumq. puellæ  
 Conceptum erepta de virginitate dolorem  
 Non tulit, & verbis gravidam solatur amicis.  
 Quo tantus tibi, Nympha, dolor ? iam comprime fletus.  
 Si facienda tui fuerat tibi copia cuiquam,  
 Si flore utendum, cuius tibi gratia maior,

Aut

Aut potius meritum, quam nostri, debuit esse?  
Te facit insontem vis per me illata. quid ultra  
Questib. indulges, & tundis pectora palmis?  
Crimen amatori veniam concede fatenti;  
Non indignus ego venia; & sum dignus amari,  
Quicquid ubiq. vides, & quicquid ubiq. Deorum est,  
Principium generisq. sui incunabula debent  
Oceano: supero quod Iupiter aethere regnat,  
Quod Neptunus aquas, quod Pluto temperat umbras,  
Muneris est nostri; nihil est mihi sorte negatum.  
Continuo montes porrectos aspice dorso,  
Queis se non Alpe, non pinifer Apenninus  
Anteferat, non silvosi iuga ningida Tauri,  
Non Atlas pater ipse, tuum iam nomen habebunt.  
Hae tibi primitiae, gratiq. hoc pignus amoris,  
Et memoris monumentum animi. nunc quidlibet opta;  
Plura feres votis, nec te fiducia fallit.

Nympha refert. quando revocari iniuria nullo  
Tanta potest facto, atq. oblivia sola supersunt;  
Non sceptrum nec opes, quid enim tam vile pudoris  
Amisisti pretium, nec dignam crimine multam  
Exoptem? da posse pati nil corpore foedum,  
Da generiq. meo; te sola haec praemia posco.

Dixerat. & rata sint, inquit, quaecunq. rogasti,  
Atq. eadem maneat, quam gestas, gratia prolem.  
Illa memor tantum serae decedere nocti  
Umbriferos saltus & ponti litora vitet.  
Sic fatus, cano abscedens caput aequore merfit,  
Spumanteisq. udo torfit sub vertice fluctus.

At plenum novies ubi Luna recurrit in orbem,  
Complexu Phlogis ex illo, sic nomine dicta est,

*Nascitur, & postquam crevit cum virib. aetas ;  
 Crevit & oris honos & Nymphis aemula forma.  
 Multi illam petiere nurum; Tagus aurifer inde ,  
 Inde & Palladia Baetis praecinctus oliva,  
 Et Minius, Sicorisq., & in ortum versus Iberus.  
 Parte alia taedas Tarbellicus ambit Atyrrus,  
 Tarnis, Atax, & Erubris, inexhaustoq. Garumna  
 Oceani salsas qui gurgite summovet undas,  
 Hesperios inter fluviorum maximus amneis.  
 Nulli illam flexere proci, flexere hymenaei,  
 Mente sed aversa studijsq. addicta Minervae  
 Aut gracili teretes intendit stamine telas,  
 Qualis Arachneos pervulgat fama labores;  
 Aut ubi languentis subierunt taedia vitae,  
 Per silvas venatur, & interdicta frequentat  
 Litora, & interdum sublustris tempore Lunae  
 Inter Hamadryadas ducit perprata choreas.  
 Saepe parens monuit, vocis memor illa paternae  
 Vitaret silvas suspectaq. litora ponti;  
 Intutumq. viro melius consulta pudorem  
 Crederet, & casti servaret foedera lecti.  
 Sed putat illa feras & monstra marina notari,  
 Et visco vel captat aveis, vel ludit in hamo.  
 Nec materna animo reputans exempla, furentis  
 Vim timet, & spreto raptus incauta periclo  
 Libera colla negat geniali subdere vinclo.*

*Pronus in occasum converso fervidus axe  
 Fumanteis laxabat equos super aequora Phoebus ;  
 Cum Phlogin ex alto vidit, visaq. repente  
 Vritur, & dulceis, ait, haec Peneïdos igneis  
 Virgo mihi renovat : species in utraq. decora ;*

*Par*

Par oris gravitas, roseiq. modestia vultûs;  
 Par amor, atq. opto felicior ut sit in ista.  
 Et mirum sane, meus hic, qui cuncta perurens  
 Torrida vibrato iaculatur lumine tela,  
 Virginis in vacuo si pectore torpeat ignis.  
 Experiar. vix desierat; lassosq. diurnae  
 Quadriuges sudore viae ad praesepia solvit  
 Furta agitans concepta animo, Tethynq. fefellit.  
 Surgebant dubia iam luce crepuscula, cum Sol  
 Nondum abiit, veniente instant & nocte tenebrae.  
 Errat adhuc sociis Phlogis incomitata relictis  
 Per loca foeta feris, dumosq. & scruposa tesqua,  
 Praeteritosq. aestus nocturna temperat aura  
 Prospectans decumo candentia litora fluctu.  
 Tum subito gressum accelerans nil tale parventem  
 Aggreditur, fassusq. deum petit oscula Phoebus,  
 Atq. ait. ô nostras virgo ne despice taedas.  
 Captus amore tuo currus undasq. reliqui,  
 Et quae me roseis fessum complectitur ulnis  
 Tethyn, & Oceanum patrem Divûmq. tuumque.  
 Me notum, tibi clara dedit qui lumina, fecit;  
 Luce mea cernis. quid pulcrius aspicit orbis  
 Lampade Phoebea? sine me cuncta obruta taetris  
 Squalerent tenebris, confusoq. ordine rerum  
 In chaos antiquum tellus caelumq. redirent.  
 Et calor est à luce mea, quo cuncta foventur,  
 Cuncta trahunt vitam; non est sine vita calore.  
 Et nunc ipse tuo Deus haut exureret igne,  
 Vivifico per me nisi vita calore vigeres.  
 Ergo mihi, caeli frueris quod luce, quod aura  
 Vesceris aetheria, debes. an dura negabis

E

Quod peto? virginitas adeo tibi visa Deorum  
 Coniugio potior? dicentem ac plura parantem  
 Dicere retro oculos Phlogis aversa reflexit,  
 Corripuitq. fugam; fugientem Delius acri  
 Igne furens sequitur; Phlogidi timor addidit alas:  
 Gnaraq. praeruptas cauteis atq. invia saxa  
 Trans celeri rapitur cursu, quaeritq. latebras.  
 Phoebus adest; Phoebum quis fallere possit amantem?  
 Quo fert cunq. pedem, tenebris nox cincta recedit,  
 Obsitaq. arborib. densis & sentibus antra  
 Luce sua complet; radiis nihil illius obstat.  
 Iam caeli medium nox cursu exegerat axem,  
 Lunaq. dimidio fulgebat splendida cornu,  
 Cum Phlogis abrupto figens vestigia saxo,  
 Fer dea, dixit opem; si te mortalia tangunt,  
 Eripe me fratri, patriaeq. oracula vocis,  
 Heu proprio quae certa nimis pro parte periclo  
 Experior, si non quem nos speravimus, at quem  
 Fata volunt, habeant dextro fac numine finem.  
 Nam fore dicebat mater, ne passa quod illa est,  
 Ipsa pati possem. mihi morte occumbere certum est,  
 Seu rapter laceris ad saxa horrentia membris,  
 Obrupta seu mergar subter labente profundo,  
 Ante pudor quam te violem. miserere precantis.  
 Quod perco in silvis, extra quoq. crimina fratris,  
 Non vacat invidia; hunc oro defende furorem.  
 Nam patet effugio nusquam via; mitis amicam  
 Labenti suppone manum. vix dixerat, & se  
 Praecipitem celso rupis de culmine misit.  
 Nec vanae cecidere preces; Dea quippe cadentem  
 Sublevat, & primo vitae defecta calore

Mem-

*Membra novum in florem mutat, qui caule pedali*

*Iunceus assurgit, calathosq. in vertice pandit*

*Nomine Cantabricae Latiis notissimus herbae.*

*Illā duplex; inodora per aspera nascitur arva*

*Montosisq. locis, humani & nescia cultus*

*Sponte sua surgit: sitienteis inter arenas*

*Crescenti lignosa brevis fibrataq. radix*

*Annua; graminea huic hirsutisq. horrida setis*

*Ad stirpem folia & densa pubentia silva.*

*Flos apice in summo distinctus quinque pilosis*

*Serratisq. nitet foliis, saturoq. rubore*

*Grata per haerenteis urit spectacula visus*

*Vsq. magis; tum vagina nudantur aperta*

*Albida inaequali nitentia stamina caule.*

*Interiora patent; fundoq. adnascitur imo*

*Omphalos; unde stili surgunt in cornua bini,*

*Rursus & in terram curva cervice recumbunt.*

*Montanae radix nigricans & crassa perennat,*

*Cauliculiq. rubent; ubi Iunius exit, in auras*

*Emittit florem. sunt ex hac gente, quod hastas*

*Baccheas specie referant, fertiq. figura*

*Confertos thyrsos per summa cacumina pandant,*

*Thyrsides hinc dictae. vis est his frigida cunctis,*

*Si folio utaris, desiccandi. facultas.*

*Ergo inflammari humores cum corpore primum*

*Incipiunt aegro, praesto est, bilisq. furorem*

*Sedat, & immodicos fluxus quoq. sanguinis arcet.*

*Hoc genus agreste ingenio est; at mitius illo*

*Alterum, odorifero quod in hortis flore superbit,*

*Multiplaci facie; ter terno hinc nomine dicta*

*Planta viget: princeps at eas est pancalis inter*

E ÿ

Oblonga ac paullum rufa radice, nec unus  
 Illius è gremio genitali surculus exit ;  
 Multa sed è nodis foliorum enata propago  
 Proceros lato ramos velut aggere cingit,  
 Densa cutem, & simili sibi gramine crassior ipso,  
 Et glauco fluctus imitata virore marinos.  
 Grandior in caulem provecta aetate pedalem  
 Evadit, quo & stirpe magis se subiicit ima,  
 Hoc magis & crebris distinguitur ardua nodis.  
 Tandem ad vaginam ventum, cui stringit acutus  
 Denticulis quinque aut bis ter fastigia mucro.  
 Protinus hinc Tyrio flos murice panditur ardens  
 Dimidium latus digitum, totidemq. per orbem  
 Luxurians foliis: est & dilutus in album  
 Erubido migrat qui degenerante colorem.  
 Forma homines capti fragranti & floris odore  
 Concinnam naturae addunt ad munera curam,  
 Insinuantq. novas vireis: ergo arte magistra  
 Crevit adulterium, floriq. innascitur alter  
 Igneus, & duplici culmen frondescit honore.  
 Deniq. cum scrobib. matri detracta subactis  
 Germina mandantur, quo vis magis insita crescat,  
 Caryophylli Indi iacto pro semine grano  
 Aspirant suavem redi vivis florib. auram ;  
 Vnde Itali plantae nomen fecere recentes:

Ordine pro varia sortitae nomina forma  
 Succedunt aliae ; maculis distincta cruentis  
 Aeolis, abranthea, eurytmete, colobanthe,  
 Porphyryon, subpunicea, crispoq. capillo  
 Vlanthe, nec non porrecto decolor ungue  
 Hypsiceros, aceraea: nec idem cultus in illis:

Agrestis

Agrestis seritur: depactis altera truncis  
 Obruitur terra, caudaq. furente Leonis  
 Nodosa in virideis attollit brachia ramos,  
 Luxuriatq. comis, grauidog. cacumine nutat,  
 Praeteritos superans laeta ubertate labores.  
 At si cura novum formae decus addere partae,  
 Converso semel atq. iterum renovabitur anno.  
 Nam quater arenteis si dum metat aestus aristas  
 Expectes, fibris iam durescentib. aervo,  
 Tabidus exhausto macrescet caudice truncus.

Disidet agresti folio quoq. cognita virtus.  
 Floris odorati: radicis quippe resectae.  
 Seu folij nondum vis explorata peritis.  
 Natura huic calida, & pellendis apta venenis,  
 Robur & ad cordi faciendum est utilis aegro.  
 Deliquiis animi vertiginibusq. medetur:  
 Oppressum exhilarat cerebrum, morsusq. nocenteis  
 Non solum sumptus curat, sed partibus ictis  
 Adpositus, vireisq. suas commistus aceto  
 Servat ad aestivi decoctus lumina Solis.  
 Impatiens hiemis cella occultatur opaca;  
 Sed non defenso violentae à frigore brumae  
 Huic à mure minus manet insidiante periculum.  
 Vnde amor aut odium potius, memorate Camoenae.

Sminthies, ut perhibent, deducta colonia Creta,  
 Atq. adeo Teucrilitus tenuere propinquum,  
 Qua pingueis tenui campos rigat amne Scamandrus,  
 Et Phrygios patrio signarunt nomine montes.  
 Heic ubi Tros iuuenis, molli dum ludit in herba,  
 Protinus armigero correptus ab alite magni  
 Sistitur ante pedes Iovis & Dijs pocula miscet.

*Heic & Dardanius pastor Simoëntis ad undas  
 Oscula formosae Veneri libavit, & inde  
 Editus Aeneas fama super aethera notus.  
 Quinetiam gratum servans sub pectore vulnus  
 Dilectae frustra Phlogidos Thymbraeus Apollo,  
 Addita miratus priscae nova moenia Troiae,  
 Ad Troiam dignos meritis instaurat honores.  
 Cumq. peregisset nuper per Achaïdas urbes  
 Pythia, virginea redimitus tempora lauro,  
 Heic Phlogia instituit. cetu pia turba frequenti  
 Vndiq. conveniunt: Deus ipse intonsus amico  
 Flore comas nectit, sacrisq. operata iuventus  
 Inde novis gaudet crineis ornare coronis.  
 Soli riserunt mysteria tanta profani  
 Sminthies, accensa fervens quos protinus ira  
 Per cava repente in mures vertit Apollo:  
 Qui sive illecti grati dulcedine fructus,  
 Sive odium memores ob poenam suscitāt iras,  
 Nunc florem & truncum non unquam arrodere cessant,  
 Sminthius hinc Asiae vicina per oppida dictus  
 Funditus extinctis populis celebratur Apollo:  
 Indiciumq. rei firmandae hoc insuper addunt,  
 Plurima sint tota quod Troade Sminthia terra,  
 Sminthies & mures vernili voce ferantur:  
 Idq. Scopae effigies opus admirabile dextrae  
 Vicino Chrysaë multis conspecta sacello  
 Arguat, in cuius cippo mus parvulus imo  
 Marmore de Pario pedib. substratus adhaeret.*

TERPSI-



# TERPSINOE

AD ILLVSTRISS. V. FRANCISCVM

A IOVSA S. R. E. CARDINALEM.



ROMISSE fatis & Diis à principe caro  
Dictus adest mensis. laetum Polyhymnia car-  
men

Suffice. liuentes pendent in vitibus uvae,  
Et fescenninos poscit vindemia lusus.

Tuque adeo sacri princeps, Francisce Se-  
natus,

Populea cui versat aquas proiectus in umbra  
Eridanus, Tiberisq. suas, cui plaudit amica  
Longe adventanti è patria rerum arbitra Roma,  
Et septemgeminis demittunt culmina colles.  
Quem modo, nec tanti vilescet gloria facti,  
Henrici magni auspiciis iussuq. profectum  
Vrbs Venetum late Hadriacas regina per undas  
Experta est aequum turbata pace sequestrem;  
Hunc etiam mecum quaeso decurre laborem.  
Quae plantae facies; unde ortus, & insita virtus  
Expediam; siue haec sampsuchus, amaracus, aut quam  
Nunc maioranam passim dixere vocantes.  
Sed seu sampsuchus, seu mollis amaracus, aut nunc  
Maiorana, novo dicatur nomine deinceps

Terpsinoë. qua plebe potens opibusq. superba  
 Litore in Euxini iacet Heraclea profundi,  
 Plena cruore domus, & diris foeta tyrannis  
 Aula fuit: scelere ante alios immanior omneis  
 Thrax Corys heic furiis longum grassatus avaris  
 Exhaustit miseram repetitis caedib. urbem.  
 Vnde sibi metuens maturus Origanus ævo,  
 Cui multo pretiosa auro congesta supellex,  
 Corripuit cum prole fugam, raptaq. bireme  
 Aegæis trepidus fortunas credidit undis,  
 Ac tandem Paphias vento defertur in oras.  
 Vxore ex Maro specie pulcerrima proles  
 Huic genita est, Sampsuchus, Origanis, atq. sororem  
 Terpsinoë forma vincens atq. arte canendi.  
 Heic sedes electa seni. Venus hospite gaudet,  
 Et patri & gnatis, riguos dum forte per hortos  
 Marmoreum fert laeta pedem, se saepe videndam  
 Praebuit, & grata vocis dulcedine capta est.  
 Interdum citharae, dum vox alternat, eburnae  
 Sampsuchus digitos, interdum & Origanis aptat.  
 Terpsinoë canit erranteis per prata Napaeas,  
 Et quae surgentis Phoebes sub lumina gaudent  
 Chaoniam festis quercum lustrare choreis,  
 Et Pityn ante alias. Boreas Maeoticus illam,  
 Illam glandifera veniens Pan magnus & ipse  
 Viderat Arcadia. visa caluere puella  
 Protinus, & rapidis arserunt ignibus ambo.  
 Pan ebuli baccas & grandia lilia dextra  
 Quassabat. risit virgo Rhodopeia risu  
 Fassa placere Deum. Boreas incanduit ira,  
 Vindictamq. parat, violento & turbine prensam

Raptat

Raptat, & ad gelidi raptatam saxa Lycaei  
 Frangere dum totis connixus virib. optat,  
 Affuit auxilio Pan, rivalemq. fefellit;  
 Pallentemq. metu miseram cognomine mutat  
 Arbore, & ex illo gratum restatus amorem  
 Hirsutos pinu crineis precingit acuta.  
 Illa sed ultoris neq. nunc oblita furorem,  
 Excussas quotiens Aquilo diverberat alas,  
 Ingemit, & lacrimas oleoso cortice sudat.

Post Pityn est & dicta Elate; compescere linguas  
 Exemplo monitae, & servare arcana Deorum  
 Discite. lanigeros patrij pascebat in Oetae  
 Monte greges Dryope vicinis cognita Nymphis.  
 Huius ab aspectu concepit in ossib. ignem  
 Cynthius, & tenera Dryope dum ludit in herba,  
 Nunc testudo pedem gressu contingere pigro  
 Gestit, nunc auro rutilantem versus in anguem  
 Innocuo flectens sinuosa volumine terga  
 Serpit, & incautae gremio se lubricus inferre.  
 Laesa Dei nimium sero Sperchias amorem  
 Insidiasq. nocens alieno crimine sensit,  
 Occursusq. hominum fugit insolabilis ulli.  
 Fleverunt Dryades, post rapti & damna pudoris  
 Quae prius haesit adhuc adamatae cura puellae:  
 Et postquam partu gravidam Lucina levavit,  
 In saltus rapuere suos, alnoq. repente  
 Pro Dryope fontis in margine surgere iussa,  
 Mortali fecere novam de corpore Nympham.  
 Hac satius Amphissus Divis sacraverat aedem,  
 Remq. tegi silvis, hominesq. latere volebat.  
 Et iam turba loco sacros instaurat honores,

Iam cursu certare & praemia ponere gaudet.  
 Non tulit hoc Elate, fraudis quae gnara dolique  
 Garrula Apollineos passim vulgavit amores,  
 Suppositamq. alnum, Dryopenq. per avia raptam;  
 Iratas habuitq. Deas; percussaq. laevo  
 Numine vera arbos pro falsa redditur alno,  
 Aequali patulos quae porrigit ordine ramos,  
 Aeriisq. iugis descendere saepe iubetur,  
 Et salsos panda fluctus tentare carina.

Sors melior Cissi. puer heic dilectus Iaccho,  
 Saltanteis Satyros imitari natus, & omneis  
 Exprimere ingenij iactato corpore motus.  
 Ergo dum biforis raptus raucedine buxi  
 Nunc caput in sublime rotat validosq. lacertos,  
 Nunc & terrifica praeceps vertigine fertur,  
 Concidit exanimis. fatum miseratus acerbum  
 Exsuvias cari genitus bis Liber amici  
 Flexipedem in fruticem vertit, qui nomina servat,  
 Pampineasq. viteis complexib. ambit.

Nec minus Actaeae graviter tulit innuba Pallas  
 Myrsinidos casus. stadio non currere aperto,  
 Non Lacedaemonia pectus nudare palaestra  
 Promptior ulla fuit. iudex quoq. saepe sedebat  
 Praemia iusta ferens dignis, aliisq. negabat.  
 Unde illi structae infidiae, tandemq. nefanda  
 Fraude intercepta est. in odoram protinus exit  
 Corpus humi stratum non uno vulnere plantam.  
 Nomen adhuc remanet; primos tota Attide terra  
 Cui Dea post oleam deferri iussit honores.

Anne rosae memorare novos nunc insuper ortus  
 Est opus? in caeli convivia laeta theatro

Scru-

*Struxerat, & Divos mensa accipiebat eadem  
 Iuppiter. Idaeo puer heic in vertice raptus  
 Implebat cyathos, & pulcra Trivesperis uxor.  
 Affuit ales Amor, qui post bellaria lecto  
 Desilit, & Clario cepit cantante choreas  
 Ducere; dumq. agili roseum puer undiq. versat  
 Mobilitate latus, summis vas nectare plenum,  
 Vas auro caelatum & grandi pondere vastum,  
 Evertit pennis. celso defusus Olympo  
 Labitur aeternus liquor. at Berecynthia mater  
 Non tulit in terris caelestia dona perire,  
 Progeniuitq. rosas, quarum fragrantia casu  
 Puniceusq. color caussam contraxit ab illo.  
 Desierat virgo. respondent undiq. silvae,  
 Idaliumq. nemus; tenerorum mater Amorum  
 Terpsinoës cantus nutu Venus alma probavit.  
 Ardet Atlantiades, qui post carecta latebat,  
 Imperiis nuper Iovis aethere missus ab alto,  
 Ut Veneri mandata daret; diurna longae  
 Tentamenta morae non pertulit, atq. rapinam  
 Impatiens magno potiore duxit amori.  
 Ergo humeris pedibusq. aptat Cyllenius alas,  
 Involat in miseram, raptamq. per aëra vexit.  
 Illa gemens, frustra fer opem Venus aurea, dixit,  
 Auxilium fer uterq. parens; vox ultima tandem,  
 Cum spes nulla super maestas pervenit ad aureis,  
 O frater longum, soror ô dilecta valete.  
 Septem continuos haesere in litore soles  
 Et pater & genitrix cum prole superstite, serae  
 Nec meminere illo decedere tempore nocti,  
 Impasti insomnes. tandem tabescere membra*

Ceperunt; vox ipsa fugit; non ora genaeque,  
Non oculis acies; & erant ut sanguine iuncti  
Sensim in gentileis abierunt brachia ramos,  
Qui titulum & prima retinent ab origine vireis.  
Interea facto exultans trans aequora raptor  
Carpit iter, claraeq. Asiae praeter volat urbes,  
Librato vitans caelestia corpore templa,  
Et Iovis in blandos suspectum numen amores.  
Aërij tandem cursus suspendit habenas,  
Frigida Threiciam qua Cyzicus aspicit arcton,  
Atq. Propontiaca rapidum mare clauditur isthmo,  
Et praedam molli fessus deponit in acta,  
Blanditiasq. facit. pudor an timor insit in illa  
Maior in ambiguo est. rabies successit utrique  
Atq. dedit vireis. per ego hanc, Caducifer inquit,  
Evoco qua maneis Orco, qua tristia mitto  
Pallenteis animas Erebi sub Tartara, virgam,  
Addico tibi me constanti foedere amantem.  
Excute corde metus, procul exue mente pudorem,  
Qui tibi virgo nocet, atq. utere flore inventae:  
Et niveo his dictis circumdat brachia collo,  
Vimq. minax verbis praesentem intentat omisiss.  
Illa manu pugnat contra, zonamq. solutam  
Clam duplici stringit nodo, partemq. canoras  
Ad fauceis nectit, partem pede pendula pressit;  
Inter & amplexus luctantis & oscula tandem  
Incumbens proprio cervicem pondere rupit.  
Ereptam doluit nec-opina morte puellam  
Accusatq. moras Maia Garamantide natus  
Segnitiamq. suam, quod non praeverterit ictum;  
Conatusq. Deum perpetrataeq. rapinae

Poëni-

Poenituit. sed quis tam dirum in virgine robur  
 Credere, quis tantum potuit sperare furorem?  
 Ergo agitans animo subiti solatia luctus  
 Contactum virga corpus transformat in herbam  
 Multiplici virtute nec uno nomine notam.

Cespitib. summis numeroso germine radix  
 Luxurians proserpit. ab hac densissima silva  
 Pullulat, & grandes quadrato caudice trunci  
 Subrubidi & densa ac molli lanugine tecti,  
 Lignosi solidi, crebris caulemque per omnem  
 Distincti nodis. hinc orbicularia bina  
 Panduntur folia obtuso mucrone, sed illa  
 Semissem digiti spatium, cum maxima, recto,  
 Maxima transverso vix excessere trientem:  
 Tum super in varias tendentia brachia partes  
 Vertice nutanti incumbunt: fastigia summa  
 Undique compacti tres insedere corymbi.  
 Qualis lamellis per mutua nexa iugatis  
 Lorica hostili pectus defendit ab ictu.  
 Quattuor ordinib. sursum foliacea versis  
 Sic apicem stringens viridantem scandula cingit.  
 Continuo hinc albi turgentia semine multo  
 Per latera erumpunt facto velut agmine flores,  
 Corniculati instar tubuli; per quattuor ipsi  
 Secti itidem folia, inter quae spatiosius unum  
 Parte sui media naturae vulnere scissum est.  
 Tum stilus exeritur bifidus. qui stamina quaerit,  
 Haec acie sollers oculorum indaget acuta.  
 Haecenus illa meos fallunt nam tenuia visus.  
 E genere hoc etiam Prasina est. sed stamina in imo  
 Certa patent, caulisque torosior, ipsaque rursus


*Huic folia umbriferum maiora cacumen opacant.*  
*Amplius & folium Polia ac porrectius edit,*  
*Denticulisq. horrent imae canentib. orae,*  
*Cetera Terpsinoae similis. nunc accipe quantis*  
*Et quib. innata morbis virtute medetur.*  
*Anguineos contra morsus hinc certa petuntur*  
*Praesidia, adversus pesteis ac taetra venena;*  
*Sive ea viscida sunt, multumq. trahentia limum,*  
*Craffitie nimia seu frigiditate nocebunt.*  
*Qualia sunt inter nati tesqua horrida fungi,*  
*Gypsus, & occulto suspecta papavera succo.*  
*Atterit humores frangit tenuatq. tenaces;*  
*Incidit pituitam, & tussis solvit anhelas,*  
*Viscida si vel spissa lues praecordia vexat;*  
*Vimq. in ventriculo fovet, intenditq. calorem.*  
*Saepe salutari suffimine & illius aegri*  
*Angina fauces iam constringente iuvantur.*  
*Cedenteis presso digito albenteisq. tumores*  
*Terpsinoe dissolvit, & albo corpore aquosos*  
*Langores siccant. nec non ad balnea prodest*  
*Decoctum ictero folium, & cum verminat artus*  
*Per tremulos prurigo, & mordicat extima lichen.*  
*Vtiliter vomitum quoq. conciliantib. illa*  
*Miscetur, bilemque per infima deijcit atram.*  
*Praeterea ad morbos muliebreis plurima confert.*  
*Suppressos menses ciet, à partuq. recenteis,*  
*Cum salit insanoq. uterus convellitur aestu,*  
*Adiuvat, & matrum furialia tormina sedat.*  
*Quin etiam heredum spes importuna moratur,*  
*Et recreat sterileis tumefacto ventre maritas*  
*Fecunda renovans desertos prole penateis.*

Inde

Inde latex medico sumptus quoq. proderit usu.  
 Stillicidi si vi nimia, flatu ve sonoro,  
 Aut alio casu pulsata obsurduit auris;  
 Haut mora, Vulcani tepefactum ad lumina rorem  
 Guttatim expressum instillant, madidoq. perunctum  
 Gossipio obturant, quam nox est longa, foramen.  
 Narib. infusus viridis quoq. succus amica  
 Vi cerebrum purgat, capitiq. gravedine multa  
 Oppresso praesens affert admota levamen:  
 Et quantum cantu quondam, dum vita manebat,  
 Nunc etiam studiis, & ad omne paratius actum  
 Excitat ingenium; fugat atras pectore curas,  
 Et tecta aerumnas circum laqueata volanteis,  
 Atq. hilareis sensus pulso maerore reducit.

Haec aula Francisce procul strepituq. forensi,  
 Dum per iustitium tacito latet abditus agro,  
 Musa tibi noto dictabat rustica vati;  
 Quae si forte leges, cum te tibi Gallio reddet,  
 Cum datur à magnis vacuo requiescere curis,  
 Inq. tuos usus medicinam ac commoda vertes;  
 Ille sibi iam nunc factum satis esse putabit,  
 Digna magis tanto dum reddere possit amico,  
 Et tua victuris intexere nomina chartis.

F I N I S.



Indolens medicis propter proderit ipse.  
 Sed illi si non minus, sed non proderit.  
 Alacris casu possunt obducere vitam.  
 Hanc vitam, si non minus, sed non proderit.  
 Gaudium expressum in lacrimis, proderit.  
 Gaudium obducere, propter proderit.  
 Natus in fide, in fide proderit.  
 Proderit propter proderit.  
 Oppressio proderit propter proderit.  
 Et quoniam vitam proderit, propter proderit.  
 Nunc vitam proderit, propter proderit.  
 Exultat in gaudium, propter proderit.  
 Et recte vitam proderit, propter proderit.  
 Ad proderit, propter proderit.  
 Hanc vitam proderit, propter proderit.  
 Dum per iniquitatem vitam proderit, propter proderit.  
 Ad proderit, propter proderit.  
 Quam proderit, propter proderit.  
 Cum vitam proderit, propter proderit.  
 In proderit, propter proderit.  
 Ille vitam proderit, propter proderit.  
 Dignus vitam proderit, propter proderit.  
 Et vitam proderit, propter proderit.



F. 1. N. 1. 2

